

## *Ab Anchisa usque ad Iliam*

Antonio RUIZ DE ELVIRA

Aeneas, a Vergilio selectus ut *Aeneidos* potissimus heros, non solum Iuliae gentis est auctor iuxta traditionem quae nobis inde saltem a Catone nota est, sed etiam deae filius, sicut Achilles, atque deae maioris status quam Achilli mater Nereis est. Iam hoc ipsum *Aeneida* parem *Iliadi* reddit maiestate herois maximi uniuscuiusque carminis, parem certe, dico, nisi maiorem *Iliade* cum Propertio eam dicere malimus. Atque hoc ex *Iliade* ipsa efficitur, nec non ex Hesiodi *Theogonia* et Homericis *Hymno* V, cum in his tribus carminibus Aeneas Veneris et Anchisae filius esse affirmetur, praesertim in *Hymno*, in quo amor cupidus et mutuus tam Veneris quam Anchisae delectabilibus versibus et pulcherrima descriptione depingitur. Itaque Vergilius Aenean Homericum initio habebat deae filium, Assaraci, Dardani pronepotis, pronepotem, et fato super Troianos regnaturum, et regnatos suos posteros, ut Neptunus dicit in *Iliados* vigesima rhapsodia, versibus trecentesimo secundo et septimo et octavo. Habebat autem Vergilius praeterea alias de Aenea memorias, posthomericas nempe, Graecas imprimis, quae iam inde a saeculis ante Christum natum forsitan sexto et praecipue et sine dubio quinto nobis notae sunt, et quae Aenean cum patre suo Anchisa et cum filio suo Ascanio e Troia navigasse aiunt et ipsum certe in Italiam pervenisse et Romae conditorem fuisse; alias deinde, tam Graecas quam Latinas, saeculorum incertorum aliquas, saeculorum quarti, tertii et secundi praecipuas, quae Aenean patrem aut avum aut proavum fuisse eius qui Romam condiderit affirmant; alias denique, quae iam inde a secundo saeculo, scilicet in Catone, testatae sunt, quae Aenean, ut venerit in Italiam, Latini filiam Laviniam uxorem duxisse aiunt, ex qua Silvium procreaverit, qui, ut est in Diodori et aliorum posteriorum operibus, praelatus Iulo (vel Iulio) Ascanii fratris filio et atavo Iuliae gentis, mortuo Ascanio, Albae Longae rex fuerit, et ex quo omnes reges Albae usque ad Numitorem, Iliae patrem et Romuli, Romae conditoris, avum, manaverint. (Nomina Iliae, Romuli et regum Albanorum praeter eorum cognomentum Silviorum non sunt testata in Catonis fragmentis.)

His omnibus animadversis, Vergilio, Aenean potissimum heroa, et Romanae et Iuliae gentis auctorem, celebrare volenti, ac simul et Iuliorum et rerum Romanarum laudes extollere, opus erat carmen condere in quo omnia illa suo iure coalescerent. Atqui sunt eae memoriae, de quibus dixi, imprimis quae de

Stesichoro, Sophocle, Hellanico, Alcimo, Agathocle, Callia, Fabio Pictore, Cato, Cephalone et Lutatio traduntur; deinde quas in Lycophrone habemus; postremo quae de Vergilii aequalibus quamvis natu maioribus ut Varrone et Caesare item traduntur, et quas in Diodoro, in Titi Livii initio et in Dionysio Halicarnassensi habemus, memoriae quibus cunctis et nulli aliae rei cuncti historici, critici et studiosi recentioris aetatis, et praecipue saeculorum noni decimi et praesentis, innituntur ut fundamento tantum non unico, praeter Homerum, Hesiodum et Vergilium, omnium suarum disputationum, doctrinarum et coniecturarum, quae sunt ingentes, de Aenea et eius posteris usque ad Romulum. Sic Niebuhr, Klausen, Schwegler, Jordan, Peter, Farnell in saeculo nono decimo, sic in praesenti de Sanctis, Carcopino, Malten, Perret, Momigliano, Bömer, Alföldi, Galinski, Pallotino, Schröder, ut aliqui tantum auctores ex exquisitoribus hic afferantur.

### De Aenea apud Homerum et Hesiodum

Ac primum de Homero et Hesiodo dicendum est.

Nobis omnia manebunt genuina quae in *Iliade* et *Theogonia* de Aenea dicuntur, nec non, ad maiorem abundantiam, quae in Homericis *Hymno* V de ipso repetuntur cum Anchisae rebus. Item dicendum est omnia haec ita se habere quamvis memoria quaedam, satis profecto perexigua, de Aeneadis post Troiam eversam in Troade regnantibus nobis in uno Strabone servata sit, nempe quod, teste Strabone XIII 1,52, Ascanii, Aeneae filii, genus, id est, posterum (cum Scamandrii, Hectoris filii, genere) Scepsi, Troadis oppido, multum tempus regnasse dicebantur. Atque hoc est totum. Neque quamdiu regnaverint nobis dicitur, neque quae alias de Aenea Troiam reverso (Dion. Hal. I 53,4, schol. Lyc. 971) et de Troadis oppidis ab Ascanio aut fratre eius aliquo conditis (Arriba, Ascania, Gentinus: Steph. Byz. Ἀρίσβη, Ἀσκανία, Γεντίνο; cf. Dion. Chalcid. apud schol. *Androm.* 10; non invenitur in *FHG* neque in *Fr Gr H*) aut in quibus Aeneas aut Ascanius regnaverint aut fuerint (Ascanius regnans Antandri: Pompon. Mel I 92; Troiae: D.H. I 53,4; Aeneae regia Scepsi Demetrio Scepsio auctore apud Strab. XIII 1,53; fortasse Aeneas et Ascanius, certe Anchises Dardani degentes: Anaxicrates 307 F 1 apud schol. *Androm.* 224; Aeneas et sui in Ida degentes: in Arctini *Iliupersi* apud Proclum p. 107 Allen, et in Conone 46; cf. quod Ascanius in Dascylitide aliquod tempus regnasse dicitur ab Hellanico 4 F 31 apud Dion. Hal. I 47,5) narrantur sufficere ullo modo possunt ut aliquid de eorum posteris narratum esse concludere liceat. Simili modo nihil omnino de personatis et ignotis regulis aut nobilibus quibusquam Aeneae stirpem in tempore aedorum sibi asserentibus concludere possumus ex eo quod in schol. (B et Townl.) II. XX 307 legitur, scilicet quod Aeolii Aeneae posteros expulerunt; quippe quod ibi nec quo tempore nec unde Aeneadae expulsi sint explanetur, et ne utrum regnaverint necne quidem dicatur.

Ceterum τὸ Τρώεσσι ἀνάξει *Iliadis* rhapsodiae vigesimae minime affirmat ubi Anchisae stirps Troianis regnatura sit, et iam Dionysius Halicarnassensis (I 53,5) recte statuit illum *Iliadis* locum non necessario (ut Straboni XIII 1,53 et aliis videtur) in Phrygia regnaturam Anchisae stirpem significare, sed posse Troianis alia sede habitantibus et eorum posteris regnaturam significare. Cf. supradictum schol. *Il.* XX 307 οἱ μὲν διὰ Ῥωμαίους φασίν, ἅπερ εἰδέναι τὸν ποιητὴν ἐκ τῶν Σιβύλλης χρησμῶν, οἱ δὲ ὅτι Αἰολεῖς ἐξέβαλον τοὺς ἀπογόνους Αἰνείου, in quo duae traditiones forsitan reperiri possint, quas Jacoby ad 2 F 39, 4 F 31 et 472 F 5 p. 373 cernere se putat, nempe Aenean et suos posteros in Troade permansisse, quam traditionem antiquiorem nuncupat («ältere Auffassung»: ad 472 F 5, p. 373), et Aenean et suos posteros in Italia regnasse; addit Hellenicum in 4 F 31 (= Dion. Hal. I 46,1 - 47,6) et Dionysium Halicarnassensem in I 53,4 traditiones medias sive conciliatrices inter illas extremas adhibuisse. Primae autem traditionis, scilicet, Aenean in Troade permansisse, testis alter esse videtur Agathocles Cyzicenus 840 F 18-19 (= 472 F 5, apud Festum p. 328 Lindsay), qui Aenean sepultum esse in urbe Berecynthia prope flumen Nolon ait complures esse auctores qui dicant. Quae urbs et quod flumen sint Berecynthia et Nolon prorsus ignotum est, sed veri simile videtur ambo esse in Phrygia, ubi sunt noti populus Berecynthos (Βερέκυντες Strab. X 3,12, XII 8,21; cf. 'Berecynthia' *Fast.* IV 355, 'Berecynthia mater' *Aen.* VI 784, 'deum genetrix Berecynthia' *Aen.* IX 82) et mons Berecynthos (Vib. Seq. p. 155 R., 236 Gelsomino: 'Berecynthos', *Serv. Aen.* IX 81 «a monte Phrygiae Berecyntho, cuius ultima syllaba caret aspiratione; ὄρος Βερεκύνθιον Plut. *de flav.* X 4, *Aristot. de mir. ausc.* 173; cf. *Servium Aen.* VI 784 «nam Berecynthos [sic nusquam; 'ue-recinθος' cod. Cassellanus; alia alii] castellum est Phrygiae iuxta Sangarium fluvium, ubi mater deum colitur», *Ac. carm.* III 19,15, Vib. Seq. 151 R. = 136 G.: «Sagaris, Phrygiae, ad castellum Berecynthium [Hesselius, Riese; 'Berecynthium' Gelsomino]). Quod si in Phrygia sunt, Aeneas in Agathocle et iis compluribus in Asia permansisse videtur; quod Jacoby non animadvertisse videtur cum ibidem p. 373 de Agathoclis traditione dicit: «...sie Aineias selbst nach Italien führt (was ja schon Hellenikos getan hat)»; non vidit Jacoby non esse idem εἰς Ἰταλίαν ἐλθόντα Hellenici 4 F 84 apud Dion. Hal. I 72,2 (vide infra de Aenea Romae conditore) quod «Italiam petivisse» Agathoclis (in prima parte loci laudati Festi).

### De Aenea apud Stesichorum, Sophoclem et Hellenicum

Nunc de Stesichoro, Sophocle et Hellenico dicendum est. Ex Tabularum Iliacarum figuris et inscriptionibus satis constat in Stesichori *Iliupersi* Aeneae cum suis navigationis initium fuisse in Italiam, cum suis, nempe, ut videtur, patre Anchisa et filio Ascanio saltem. Eae Tabularum Iliacarum figurae et inscriptiones profecto codicis manuscripti instar sunt nec minus valent ad auctoris

Stesichori auctoritatem testandam et firmandam quam quaelibet Stesichori mentio in quolibet opere vel scholio aut in qualibet papyro. Ceterum nec Vergilii *Aeneida* fontem Tabularum Iliacarum fuisse constat, nec, si constaret, ad Stesichori auctoritatem infirmandam id sufficeret, cum Stesichori *Iliuperseos* mentio ex *Aeneide* manavisse non possit, nec eam, undecumque manaverit, temere manavisse probari possit. Manet igitur nobis saeculo sexto a. Chr. memoriam apud Graecos fuisse Aeneae cum Anchisa et Ascanio initium saltem facientis navigationis in Italiam.

Saeculo insequenti, hoc est quinto, Sophoclem et Hellanicum habemus novos testes eiusdem memoriae vel certe simillimae. De Sophocle hoc scimus, teste Strabone (XIII 1,53) eum in Iliu Halosi quadam (fortasse in *Antenoridis*) dixisse Aenean cum patre Anchisa et cum filio Ascanio exercitu comparato navigasse. Et de Hellanico item hoc scimus, teste Dionysio Halicarnansensi (I 72,2 = 4 F 84), eum dixisse Aenean cum Ulixe (μετ' Ὀδυσσέως omnes codices Dionysii praeter B qui μετ' Ὀδυσσέα habet; σὺν Ὀδυσσεῖ Eusebius apud Syncellum p. 361,16 Bonn.=Schöne, Eusebii Chronicorum liber I, p. 276; 'cum Odisseo' Latina versio textus Armenii a Petermann confecta=Schöne, p. 275), cum in Italiam venisset, Romae conditorem fuisse; et idem dixisse Damasten Sigeum (D.H. ibidem=5 F 3) et alios quosdam.

Addit Hellanicus nomen Romam urbi ab Aenea impositum esse a nomine cuiusdam feminae Troianae, Rhomes, quam, longo navigationis errore fessam, reliquis Troadibus ab ea incitatis, una cum eis naves incendisse dicit. Haud eadem de Rome dicuntur in Agathoclis Cyziceni fragmento, de quo antea dixi (840 F 18=472 F 5, apud Festum p. 328,16 Lindsay et, minus ampliter, apud Solinum I 3), in quo Rome (sive Rhome) Aeneae neptis est, Ascanii filia, et Aeneas cum ea Italiam petit; Aeneas in hoc fragmento, ut diximus, non in Italiam pervenisse videtur, sed Rhome (sic in Festo; 'Rome' apud Solinum) profecto ibi pervenit et in Palatio templum Fidei consecrat; postea Roma conditur, sed nec quo tempore nec a quo condita sit nobis dicitur. Ad hoc aliquo modo referri posse videtur quod de Rhomo, Romae conditore, dicitur ab eodem Agathocle (840 F 19 in parte secunda loci laudati Festi) et, magis minute, et antea; ab Alcimo (560 F 4 in Festo 326,35 Lindsay); atque ab Antigone (Agathoclis aequali forte: 861 F 1 apud Festum 328,2 Lindsay), nec non quod de Romulo, Aeneae nepote, Romae conditore, dicitur ab Eratosthene (apud Servium Danielis *Aen.* VI 777; cf. Dion. Hal. I 73,2 [ἔτεροι] et Diod. VII 5 [apud Syncellum p. 366: ἐντοί]). Alcimus nempe, auctor saeculi IV a. Chr., Platonis aequalis, antiquissimus est testis cuiusdam lineae successoriae quae ab Aenea incipiens in Romae conditorem desinit, quae linea adhuc multo brevior est quam catenae regum Albae quae primum comparent, ut videtur, in Fabio Pictore (809 F 4; aut in illo ignoto Diocle Peparethio 820 T 2), sed unum nomen certe habet quam Eratosthenis, Naevii et Ennii linea. In Alcimo scilicet Romae conditor, nomine Rhodius (sic in codice Farnesiano Festi, quod servat Lindsay; 'Rhomius' reposuit Ursinus, quod repetit Jacoby), Aeneae pronepos est, Albae filius, quae Romuli, Aeneae filii, filia est; nomen Romulus hic pri-

num comparet. In Eratosthene (ut videtur), nec non in Naevio et Ennio, Romae conditor, nomine Romulus, Aeneae nepos est, Ascanii filius in Eratosthene, Iliae, Aeneae filiae, in Naevio et Ennio. In Antigono autem, Italicae historiae scriptore, Rhomum quendam, «love conceptum», urbem condidit in Palatio et ei Romae dedit nomen.

Aliae memoriae quae ad haec referri possunt sunt quae sequuntur.

Rhomus, Romae conditor, Aeneae filius, Ascanii et Euryleontis et Romuli frater in Cephalone Gergithio (45 F 9 apud Dion. Hal. I 72,1) et in Demagora et Agathyllo (Dion. Hal. ibidem; Agathyllus, aetatis ignotae, apud eundem Dionysium I 49,2, Aenean Hesperiam petivisse [ἔσπτο] dixit et Romulum eius filium fuisse). Idem quod Cephalo et reliqui duo, nisi quod Rhomum cum fratre suo Romulo Romam condidisse addiderunt, dixerunt aliqui (τινες) apud eundem Dionysium (I 73,2; ἄλλοι I 73,3: Ascanii et Romuli fratrem esse Rhomum). Idem Cephalo apud Festum p. 326 Lindsay (= FHG III 70,7=45 F 10) «Romam appellatam esse» dicit «ab homine quodam comite Aeneae; eum enim occupato monte, qui nunc Palatius dicitur, urbem condidisse atque eam Rhomen nominasse». Duo alii Rhomi, Romae item conditores, a Dionysio commemorantur (I 72,5-6), e quibus unum Ascanii filium fuisse quibusdam auctoribus dicit Dionysius Chalcidensis, scriptoris saeculi, ut videtur, quarti (840 F 10 apud Dion. Hal. ibid. 6). Clinias, saeculi III ut videtur, rettulit «Telemachi filiam Romen nomine Aeneae nuptam fuisse, ex cuius vocabulo Romam appellatam» (819 F 1 apud Servium Dan. *Aen.* 1 273). Roma condita ὑπὸ τῶν ἐξ Ἰλίου διασωθέντων σὺν Αἰνεΐῳ traditur a Cephalone Gergithio in fragmento supra allato (45 F 9 apud D.H. I 72,1 et apud Eusebium in Syncello p. 361,16). Romulus Aeneae filius aut nepos in Plutarcho (*Rom.* II 1-6). In scholio ad Lycophronem 1272 Rhomus et Romulus, Romae conditores, Aeneae posterii (ἀπόγονοι) sunt, et Cephaloni (cf. 45 F 8, ubi scholium desideratur) tribuitur Capuam a Rhomo et Romulo, Aeneae filiis, conditam esse dixisse, quod Dionysius (I 73,3) «aliis» sine nomine tribuit.

Iam ante Hellanicum memoria Troum in Italia degentium servari videtur ab Hecataeo (I F 62 apud Stephanum Byzantium Καπύα), cum is dicat nomen urbis Capuae a Troiano Capye derivari, qui Capys Aeneae avus, Anchisae pater et Assaraci filius, potest esse, aut Aeneae consobrinus ut Coelius Antipater ait (apud Servium Danielis *Aen.* X 145 = fr. 52 Peter), qui eum Capuae conditorem nuncupat.

Quod ad Rhomen attinet, quam supra vidimus in Hellanico ut eam quae naves incendisset, in Agathocle ut Aeneae neptem, aliae item sunt de ea memoriae quae Aenean non memorant, et alia addunt. Sic in Callia, auctore eiusdem temporis cuius fuit Agathocles, hoc est primae partis saeculi III ut videtur, teste Dionysio Halicarnassensi (I 72,5 = 564 F 5 a) Rhome mater est Rhomi, Romuli et Telegoni, Romae conditorum, quorum pater est Latinus, Aboriginum rex; et idem Callias, teste Festo (329,1 Lindsay = 564 F 5 b), scripsit Rhomen fuisse Troiani cuiusdam uxorem nomine Latini qui Romae conditor fuisset. Heraclides autem Lembus (840 F 13 b apud Festum 329,6 et, minus mi-

nute, apud Solinum I 2), scriptor primae partis saeculi alterius, dicit, ex parte cum Hellanico, Rhomen fuisse quae ceteras Troadas moverit et instigaverit ad Graecorum naves incendendas, ita ut Graeci apud Tiberim permanserint et Romam condiderint nomen illius feminae urbi apponentes. Navium Graecorum incendium a Troadibus captivis et Graeci ex eo Romam condentes comparent, sed non femina Rhome, multo antea, in Aristotele apud Dionysium Halicarnassensem (I 72,3-4 = fr. 609 Rose = 840 F 13 a); navium incendium, etiam in Plutarcho *Aet. Rom.* 6, 265 b-c = 840 F 13 c.

Itidem omnia haec aliquo modo referri possunt, sine aliqua accuratione (ut partim indicat Jacoby ad 560 F 4), et maxime Tyrrhenia, Romuli mater ab Aenea, ad Latinum, Tyrsenorum regem, in Hesiodi *Theogonia*, et ad Tarrhonem et Tyrsenum qui comparent in Lycophrone, v. 1242. Magis adhuc remote Xenagoras (240 F 29 apud D.H. I 72,5), primae partis saeculi tertii, Ulixi et Circes filios nuncupat, ut videtur, Romae et Antii et Ardeae conditores.

### De Lycophrone

Sed auctorum Graecorum Fabio Pictore antiquiorum qui de Aeneae adventu in Italiam narrant potissimum et copiosissimum habemus Lycophronem, primae partis saeculi tertii satis probabiliter, et de quo minime constat eum a Timaeo talia habuisse. Nam in Timaeo nihil omnino est de Aenea, et solum tria illius fragmenta ad res Romanas attinent, quorum nullum a Lycophrone repetitur: Penates Lavinii (566 F 59 apud Dion. Hal. I 67,4), Roma condita eodem anno quo Carthago (566 F 60 apud Dion. Hal. I 74,1), et equus (October in Festo 190, 11-30 Lindsay, cf. *Fast.* IV 731, Frazer ad I 385, Prop. IV 1, 19 s.) quem Romani sacrificant equum ligneum Troiae commemorantes (566 F 36 apud Polybium XII 4 b 1).

### De Aenea patrem umeris gestante

Sed ante quam quae in *Alexandra* sunt de Aenea videmus, de Aenea patrem umeris gestante, quod non commemoratur a Lycophrone, videamus. Hoc in litteris primum apparet in Sophocle, in fragmento 373 Pearson apud Dion. Hal. I 48,2, quod est *Laocoontis*: Αἰνέας ὁ τῆς θεοῦ πάρεστ' ἐπ' ὤμων πατέρ' ἔχων. Ante Sophoclem in saeculo VI est in nummo quodam in Chalcidica reperto figuratum, nec non in aliis artis pictoriae et sculptoriae figuris, quarum non nullae eiusdem saeculi sexti et primae partis saeculi quinti sunt (v. Austin ad *Aen.* II 708, Alföldi, *Early Rome* 250-65, Galinsky, *Aeneas, Sicily and Rome.* 122 sqq., et W. Fuchs, «Die Bildgeschichte der Flucht des Aeneas» apud Temporini, *Aufstieg und Niedergang der römischen Welt*, I 4, Berlin 1973, pp.

615-632, et Tafeln pp. 47-58). Post Sophoclem in Xenophonte (*Cyneg.* I 15, de cuius loci auctoritate non nulli dubitant) Aeneas patrem servat, neque nobis dicitur quo modo; in Apollodori epit. V 21 Aeneas patrem fert eum sustinens (βαστάζων). Umeri denuo comparent in Alexandro Ephesio (apud *Originem gentis Romanae* 9,1, de quo loco v. infra), atque, quamquam non eo verbo, in Varrone (apud scholium Veronense *Aen.* II 717, in quo est etiam Cassii Heminae fr. 5\* Peter; cf. Servium Dan. *Aen.* II 636); namque haec dicit Varro: «Aenean patrem suum collo», quae verba lacuna sequitur. Et hoc ipso verbo Graece ἐπὶ τοὺς ὄμους in Diodori VII fragmento 4 (apud Constantini Excerpta 2,1, p. 211), quod fragmentum, usque ad τυγχάνουσαν, tantum non mera translatio Varronis (primae partis loci laudati) esse videtur, quamvis hoc invicem esse possit, cum Varro et Diodorus aequales ferme fuerint. Umeri aut cervix aut utrumque item in Vergilio *Aen.* II 721 (cf. 707), 804, et VI 110 s., *Orac. Sibyll.* XI 148 sq. (βαστάζων ὄμοισιν ἕόν πρέσβυν γενετῆρα, υἷὸν δ' ἐν παλάμῃ κατέχων μόνον), Prop. IV 1,43, Ov. *Fast.* IV 38 (cf. V 563), *Pont.* I 1,33, cf. Sen. *de benef.* III 37,1, et in Quinto Smyrnaeo XIII 315. Item in figura aliqua Tabularum Iliacarum, supra inscriptionem *Iliuperseos* Stesichori (*IG XIV*, Berlini 1890, num. 1284, p. 332) et in tribus nummis Caesaris, Octaviani et Antonini Pii. (Similia de duobus Siculis iuvenibus, Amphinomo et Anapio aut aliter nominatis, aut non nominatis, narrantur ab Aristotele *de mundo* 6, 400 a 33 sqq., *de mirabil. auscult.* 154, Valerio Maximo V 4, ext. 4, Seneca ibid. § 2, et multis aliis, quorum omnium antiquissimus, Lycurgus, *contra Leocr.* 95 s., de uno tantum iuvene loquitur, quamquam etiam de loco qui Εὐσεβῶν Χῶρος appellatur.)

### De Aenea apud Lycophronem

Iam nunc Aenean in Lycophrone videamus. Aeneas saepius comparet in *Alexandrae* versibus millesimo ducentesimo trigesimo secundo usque ad septuagesimum secundum. Nunc non solum hos versus, sed totum locum inde a versu millesimo ducentesimo vigesimo sexto usque ad octogesimum damnavit et secludit Welcker (*Gr. Tr.* III 1260), quod post quadraginta annos admisit et probavit, ut ex uncinis quos loco apposuit colligi potest, Lycophronis editor notissimus E. Scheer (in editione Berolinensi anni 1881; disputationes de hac re, inter alias plurimas, offerunt Ziegler in P. -W. 13, 1927, 2354 sqq., et novissimus editor Mascialino, in editione Barcinonensi anni 1956, pp. XXX-XXXIV, ad quam lectorem revocat in editione Teubneriana anni 1964, ad vv. 1226-1280). Videmus in annis viginti et triginta saeculi noni decimi iam in deliciis fuisse secludere aut ut spurium damnare aut suo tempore remove, omne quod, de Roma, aut Aenea, Fabio Pictore prius est, vel, ut cum *Origine gentis Romanae* fecit Niebuhr, Augusto.

Mensae ambesae et triginta suis porculi, quae ut portenta videbimus in Ver-



gilio, Varrone, Dionysio (porculi tantum, antea, in Diodoro), primum comparant in Lycophrone. Primum etiam in eo itidem est Aenean patriam aedificaturum esse (πάτραν δωμήσεται vv. 1271 s.) divitem, celebratam in proeliis in posteris (ύμνηθεΐσαν ἐν χάσμαϊς... ἐν ὀπιτέκνοις ὀλβίαν vv. 1271 sq). Accuratiores de futuris laudibus et de terrae marisque imperio quod Cassandrae generis posterii habebunt, non dicentes qui posterii hi futuri sint, sunt versus millesimus vigesimus sextus usque ad trigesimum; in versu trigesimo altero et sequenti tantum non certo Romulus et Remus perstringuntur, ex Aenea ducti, non indicato cognationis gradu; ἐμός τις σύγγονος versus trigesimi secundi, quod est subiectum saepe repetitum usque ad versum septuagesimum secundum, Aenean esse etiam tantum non certum est, ut fit ex universa dictionum summa in iis versibus, minus in trigesimo quarto in quo Castniae filius est Veneris filius solum secundum scholium ad versum vigesimum sextum p. 352,14 Scheer et ad trigesimum quartum et paraphrasin ad eundem (et quod cognita est Ἀφροδίτη Καστινήτις apud Strabonem IX 5,17 = Callimachi fr. 82 b Schn. = fr. 200 a Pfeiffer), quam in quinquagesimo ad quinquagesimum alterum, in quibus est mensa ab Aeneae comitibus esa, quae Aeneae antiquorum oraculorum reminiscitur, et quod factum absque dubio in Italia accidit, ubi est Aeneas inde a v. trigesimo nono: παλιμπλανήτην δέξεται Τυρσηνία; et in quinquagesimo tertio et sequenti, ubi dicitur Aenean nationem conditurum esse in Aboriginum terris, super Latinos Daunios habitatam (ὑπὲρ Λατίνους Δαυνίους in codice Vaticano et in scholio ad versum quinquagesimum quartum, et subauditum in paraphrasi: Λατίνοι καὶ Δαύνιοι ἔθνη Ἰταλίας; quae lectio potior est lectione ὑπὲρ Λακίου Δαυνίου Stephani Byzantii Δαύνιον); item in versibus quinquagesimo quinto ad octavum, ubi est sus femina (sed nigra, cum alba sit in Diodoro, Vergilio et Varrone), ab Aenea in nave ex Ida portata; et Aeneas triginta turres, vel oppida (πύργους), conditurus est numerum suis porculorum aequans (atqui Scholiastes ad versum quinquagesimum quintum Lycophronem hic desipere dicit, cum porculorum numerus triginta triginta annos portendat usque ad Albam Longam conditam, et minime triginta oppida ab Aenea condenda); et in versibus quinquagesimo nono et sequenti, ubi Aeneas in urbe quadam effigiem aeneam staturus est suis et porculorum (quod tantum non ad verbum repetitur a Varrone *rer. rust.* II 4,18); et postremo in versibus sexagesimo primo ad septuagesimum, in quibus Aeneas templum aedificabit, non dicitur ubi, Myndiae Pallenidi (quae est Minerva secundum scholium ad 1261 et paraphrasin), et deorum patriorum imagines ponet (subauditur: in ipso), atque deorum imagines et patrem venerabitur, opes despiciens, cum soli ei canes, postquam sortientes patriae suae universa consumpserint, tribuent seligere et ferre quodcumque volet, ideoque piissimus etiam ab hostibus habebitur.

Quod attinet ad id quod Aeneas conditurus est, dicendum est in Lycophrone id incertum esse: nationem in aboriginum terris in v. 1252, patriam in posteris celebratam in v. 1271, et ideo est eodem modo incertum, maxime etiam animadversis duobus leonis catulis, Romulo et Remo ut videtur, quos Aeneas relinquet in vv. 1232 sq., utrum Aeneas in Lycophrone Romae conditor esse



existimetur, an, potius ut videtur, Romae conditoris pater, vel, minus plausibiliter, atavus non indicato cognationis gradu. Versu 1243, ut in paraphrasi et scholio explanatur, Ulixes, quamvis Aeneae hostis sit, peragrato maris ac terrae itineribus omni salo, cum Aenea exercitum miscebit. Hoc satis probabiliter ad traditionem pertinet quam in Hellenico et Damaste vidimus, Romae conditorem Aenean fuisse cum Ulixem (sic, ut diximus, in Dionysii codicibus omnibus praeter unum, et in Eusebio; 'post Ulixem' tantum in codice Urbinatense 105).

Post Lycophronem et probabiliter ante Fabium Pictorem constat etiam de Romanorum originis Troianae fama apud Romanos et Graecos, cum anno fere 239 a. Chr. Romani legati ad Aetolos, teste Iustino XXVIII 1,6, eis denuntiaverint ut paterentur Acarnanas liberos esse, «qui soli quondam adversus Troianos, auctores originis suae», id est, Romanorum, «auxilia Graecis non miserint».

### De mensis et sue post Lycophronem

Nunc videamus quomodo post Lycophronem, id est, in Fabio Pictore, Catone, Caesare, Lutatio, Conone et Strabone partialiter, et plene in Varrone, Vergilio et Dionysio, mensarum et suis prodigia narrata fuerint. In Dionysio I 55,4 mensas edendi prodigium Sibyllae vaticinium est, quae insuper iubet Troas, quadrupedem ducem facientes, urbem unam aedificare ubi animal lassus fuerit. Sequitur suis fuga (56,1-2), et (56,4) vox portendens post tot annos quot porculos pepererit sus aliam urbem ab Aeneae posteris conditum iri. Postea porculos triginta sus parit (56,5), et urbs incipit condi (57,1); desinit (59,2); Aeneas eam Lavinium appellat (59,3), et ibi de duobus feminis Laviniiis narratur; Aeneas Laviniam unam uxorem ducit (60,1); postremo vaticinium alterum impletur: triginta annis post Lavinium conditum Alba Longa ab Ascanio conditur (66,1).

In Vergilio mensarum vaticinium ter canitur: primum in Strophadibus, a Celaeno Harpyia (*Aen.* III 255-57); iterum ab Heleno (III 394); tertium ab Anchisa (VII 122-127). Vaticinium in Tiberinis ostiis impletur, postquam Troes ibi e navibus terra potiuntur (VII 109-115). Vaticinium alterum, id est, de sue, ab Heleno partialiter (III 389-93), a flumine Tiberi ad Aenean, in somnio (VIII 42-48), plene canitur: sus alba, cum triginta porculis, «solo recubans», «hic locus urbis erit» (hactenus iam Helenus id vaticinatus erat, iisdem verbis), et Alba Longa post triginta annos ab Ascanio condetur. Hoc vaticinium postridie impletur: sus cum sua prole invenitur, Aeneas suam sacrificat «et cum grege sistit ad aram».

In Varrone (*Antiq. rer. divin.* apud Servium *Aen.* III 256) mensarum vaticinium, a Iove Troianis recitatum, Dodonae accidit, et (alio loco: *ling. Lat.* V 144) sus ex Aeneae nave Lavinium fugit, triginta porculos parit, et «ex hoc prodigio post Lavinium conditum annis triginta haec urbs facta, propter colorem

suis et loci naturam Alba Longa dicta». Postea plura de hoc Varronis loco videbimus.

Mensarum vaticinium, iubens Aenean, vel Troianos, ibi manere et habitare ubi mensas devorassent, sed nihil de sue, in Conone 46 et in Strabone XIII 1, 53 invenitur. Strabo apud Lavinium Latii prodigium accidisse addit. In Servio *Aen.* VIII 43 sus a Troianis portatur (ut in Lycophrone 1256 s., et, alba et ex Troianorum nave saliens, in scholio ad Lyc. 1232, p. 353,20), qui in Campania eam amittunt, et postea in agro Laurente inveniunt; sed alio loco (*Aen.* III 390, et, paene eadem, Serv. Dan *Aen.* VIII 43) Servius plura affert: aliquos dicere, «secundum Vergilium», Troianos suem in Italia invenisse, alios secum portasse «more navigantium» et ex oraculo accepisse se urbem condere debere ubi «sus illa post fugam esset inventa. Dicitur ergo in Campaniam fugisse et inventa in Laurolavinio: a qua Ascanius post Albae nomen imposuit». Serv. Dan.: «...alii...habuisse eam Troianos et ubi primum generasset, ibi certam spem sedis concepisse: alii in litore Laurenti inventam. quam secutos Troianos in eum montem pervenisse ubi postea Alba a colore porcae, Longa a positione, sit condita». Servius hic Lavinii oblitus esse videtur.

Si fides habenda Diodoro (VII 5, 4-5 apud Syncellum pp. 366 sq. Dindorf = Euseb. *Chron.* I p. 286 Schöne), Fabius Pictor (fr. 4 Peter) suis prodigium narravit cum vaticinio de quadrupede ad urbem condendam ut in Dionysio, sed hoc vaticinium in Fabio non iubet ut in Dionysio, sed solum portendit: ἀπὸ καθηγῆσασθαι (sic in codd., aoristo futurum tempus indicante, de quo v. quae disputavi in *Em.* 38, 1970, 292-297; aoristum in futurum καθηγῆσεσθαι mutavit Wesseling, at non Schöne). Ceterum apud Fabium Aeneas cum, suem albam fetam sacrificaturus, sus ad collem aufugit et triginta fetus parit, ibi urbem condere intendit; sed somnium aliquod eum ab hoc prohibet et eam urbem triginta post annis condere monet, quod in paragrapho sexta (apud Eusebium) post triginta annos, mortuo Aenea, eius filius Ascanius perficit. In Fabio-Diodoro igitur non de condendis duabus urbibus agitur ut in Dionysio, altera ab Aenea ubi sus stiterit, quae Lavinium erit, altera ab eius posteris, triginta annis post, quae Alba Longa erit, sed de condenda una tantum urbe, cuius aedificatio ad triginta annos procrastinatur et quae Alba Longa erit. (Mensarum prodigium Fabio nemo tribuit.)

In Vergilio duae urbes sunt, ut in Dionysio, sed earum prima, Lavinium (quae in vaticinio non nominatur, sed ad eam condendam antea subaudiendo relatum est in *Aen.* I 258 sq. «cernes promissa Lavini moenia», cf. 270), non ad locum nuntiatur ubi quadrupedis proscutio duxerit, ut in Fabio et Dionysio, sed in mensarum vaticinio a Celaeno (III 255, quamvis hic solum de urbis datae moeniis erigendis agatur, ut in I 258 sq. 'cernes promissa Lavini moenia') et ab Anchisa (VII 126 s. «tum... memento prima locare manu molirique agere tecta»), non indicato quo loco, quamquam subauditur ibi fere fore ubi mensae devoratae fuerint, et nulla mentione ibi facta alterius urbis nec suis; et altera urbs in Tiberis vaticinio ad Aenean invenitur, quod vaticinium ad duas praedictas urbes referri videtur: earum prima (VIII 40 «hic tibi certa domus»,

VIII 46 «hic» [sc. ubi sus iacebit] locus urbis erit») ibi erit ubi Aeneas suem invenerit (hic Heleni vaticinium desinit; nec necessario urbis locus erit locus ipse ubi sus iacebit, sed plaga vel regio, ut bene explanat Heyne ad v. 46: «in his terris»); el altera, Alba, versu 48 nuncupatur, de qua non dicitur ubi futura sit, et quae triginta annis post ab Ascanio condetur (incertum est quid 'ex quo' versus 47 significet). Hoc triginta annorum spatium iam multo antea, absque suis mentione, indicatum est (I 267-71).

In Varrone duae urbes sunt aequae: *rer. rust.* II 4,18 «quod sus Aeneae Lavinii triginta porcos peperit albos...» et *ling. Lat.* V 144 «oppidum alterum...Alba...ab sue alba. Haec cum fugisset Lavinium...». Sed Varro loquitur tanquam Lavinium conditum iam esset cum illic fugit sus et ibi triginta fetus parit, et ideo vaticinium ad alteram tantum urbem, Albam, referri videtur. Non loquitur Varro de mensarum prodigio in duobus supradictis locis, at de eo profecto loquitur, ut vidimus, in *Antiquitatibus rerum divinarum* teste Servio *Aen.* III 256, ubi est Iovis vaticinium ad Troianos Dodonae (cf. Dion. Hal. I 55,4); et ceterum, in *ling. Lat.* V 144, quamvis suis prodigium ad Albam tantum etiam referri videatur, Lavinium conditum esse postea in loco ubi sus peperisset subaudiri videtur ex eo quod Varro post «cum fugisset Lavinium» dicit: «triginta parit porcos; ex hoc prodigio post Lavinium conditum annis triginta haec urbs facta», et ideo id quod praecedat, scilicet «e navi Aeneae cum fugisset Lavinium» explanandum forte fuerit ut 'cum fugisset ad locum ubi futurum erat ut postea Lavinium conderetur'. Sane hoc loco Varro aliquo modo perplexe et intricate loquitur.

Dionysius unus auctor est qui nexum nequit, accuratum et affirmativum, inter duas accidentium series, scilicet, inter mensas ac suem hinc, et duas urbes condendas illinc, quod per duo oracula efficit: primum oraculum, quod unum est, et iubens, duo prodigia complectitur (verba 'prodigium' et 'portentum' apud Varronem inveniuntur), scilicet mensas et quadrupedem, quae ad primam tantum urbem condendam referuntur, quae Lavinium erit; sed ibi ubi sus sternitur Aeneas vocem aliquam, id est oraculum alterum, audit, quod ei nuntiat post tot annos quot porculos sus pepererit, urbem alteram a suis posteris conditum iri; et postridie sus triginta fetus parit. Sus aufugit tum cum, Troianis Laurenti degentibus, ubi e navibus egressi erant, et ab eis mensis ambesis, illam sacrificaturi erant, sine dubio ut gratias agerent de oraculi prima parte impleta; et, cum sus aufugit, Aeneas hoc alteram oraculi partem esse intelligit, quam ille suem prosequens implet, et ubi sus sternitur oraculum alterum, de altera urbe, audit, et primam struere incipit.

Harum rerum omnium partis saltem alicuius Cato fons esse videtur teste *Origine gentis Romanae* in paragrapho 12,5 (= fr. 13\* b Schröder), ubi duae urbes sunt apud Catonem, nempe prima, quam Aeneas condere incipit ubi sus triginta porculos pepererat, «in eo loco ubi nunc est Lavinium», et altera, quam Troianos condituros post annos totidem Aeneae simulacra deorum penatium per quietem visa portendunt. (Hoc fragmentum non invenitur apud Peter.)

Quod tam ad mensas quam ad quadrupedem futuram ducem attinet, mag-

na pars etiam fuisse videtur in Caesare et in Lutatio secundum eandem *Originem* 11, 1-3, quamquam is intricatus et mutilus locus est, in quo Aeneas cuiusdam vaticinii Veneris ad Anchisen de mensis ambedendis meminisse videtur (aut Anchises ipse is est qui meminit), atque alterius vaticinii, ab Aenea accepti, de sue; et in loco ubi sus triginta fetus parit «ibidem», in *Origine* legitur, «auspicatum † postquam Lavinium dixit».

In Vergilio nexus non invenitur inter duo prodigia neque inter duo oracula (quamquam Helenus in uno tantum oraculo suis prodigii partem primam nuntiat, scilicet, urbem ab Aenea condendam esse ubi is suam cum triginta fetibus invenerit, nec non mensarum prodigium nullis singulis rebus indicatis); nexus subauditus esse potuerit, sed id certum non est, neque in Heleni vaticinio neque in ea re quae tantum perstringitur, scilicet locum ubi Aeneas suam invenerit eundem esse posse, aut saltem non procul, qui ille ubi mensas edissent, prope Tiberis ostia.

Nexus profecto in Vergilio esse videtur inter duas urbes, quem faciunt verba *ex quo* versus 47, quae tales et tam multas explanationes pepererunt, quarum nulla certa est (ut eodem modo fit de verbis *hic locus urbis erit* versus 46 et de eo quod in codicibus Mediceo et Palatino absunt).

### De regibus Albanis

Iam ad Albanos reges veniamus (de quibus v. García Fuentes, «Eneas, Ascanio y los reyes de Alba», pp. 11-14, ex *Hispania Antigua* II 1972, 21-34). Primum in Fabio Pictore, ut videtur, comparent, ut ex Plutarcho probabiliter concludere licet: *Rom.* 3 (= fr. 5.<sup>a</sup> Peter, nisi vero hoc antea dixit ignotus ille Diocles Peparethius, quem ex parte exscriptum esse a Fabio Plutarchus affirmat) Τῶν ἀπ' Αἰνείου γεγονότων ἐν Ἰταλίᾳ βασιλέων εἰς ἀδελφοὺς δύο, Νομήτορα καὶ Ἀμούλιον, ἡ διαδοχὴ καθήκειν. Sane nescimus num Fabius reges Albanos, praeter duos postremos, Numitorem et Amulium, nominaverit et quot apud eum fuerint.

Post Fabium aut fere eodem tempore L. Cincius Alimentus sequitur, qui, teste *Origine* 18,1 (non invenitur in Peter), de Tiberio Silvio, Silvii filio et successore, aliquid rettulit.

Post Cincium Cato sequitur, qui apud Servium *Aen.* VI 760 (= fr. 11\*\* Peter et Schröder), aliquid saltem de Albanis regibus scripsisse videtur: «...sibi vero Albam constituit, qui quoniam sine liberis periit, Silvio, qui et ipse Ascanius dictus est, suum reliquit imperium. postea Albani omnes reges Silvii dicti sunt ab huius nomine». (Cf. verba «Silviis Albae regnantibus» in Cassii Heminae fr. 8 Peter apud Gellium XVII 21,3, quamquam incertum est num revera in Cassii textu fuerint.) Sicut de Fabio etiam de Catone num reges nominaverit et quot apud eum fuerint omnino nescimus.

Catonem Annales pontificum sequuntur, in quibus Silvii posteros omnes,

Silvios appellatos ut in Catone, usque ad conditam Romam Albae regnasse scriptum erat teste *Origine* 17,5, nec non, in 18,3, aliquid saltem de Aremulo Silvio, secundo post Silvium Albae rege.

Post Annales pontificum aut fere eodem tempore si L. Calpurnius Piso Frugi is Piso est quem ibidem (18,3) affert *Origo*, Piso item aliquid de eodem Aremulo Silvio rettulit.

Sequuntur Lutatius et L. Caesar, quorum primus aliquid de Tiberio Silvio, ut Cincius, alter de Aventino Silvio, tertio, ut videtur, post Silvium Albae rege, rettulerunt teste *Origine* 18,1. Fortasse eodem tempore Aufidius et Domitius (apud *Originem* 18,4) aliquid amplius de Aremulo Silvio rettulerunt.

Post hos statim sequuntur Alexander Polyhistor et Diodorus, aequales. Primus aliquid de rege Tiberino, Capeti filio, dixit teste Servio Dan. *Aen.* VIII 330 (= 272 F 110, ad quod fragmentum recte statuit Jacoby in comm., pp. 302 et praecipue 282 s., contra Niebuhrium et alios, nihil constare de Albanorum regum serie apud Alexandrum, sed solum de Tiberino). Diodorus autem primus est de quo constet singulos reges Albanos multo plures quam Ascanium, Silvium, Tiberium Silvium, Aremulum Silvium et Aventinum Silvium, nominasse, scilicet numero XIV. Diodorum sequuntur Vergilius et Livius, quorum primus tantum sex nominat, cum fere simul Livius XV et post eos Dionysius XV et Ovidius XIV nominent.

Sunt itaque:

In Diodoro (VII 5,7-12 apud Eusebium, *Chronicorum* Liber I, pp. 284-90 Schöne, in latina versione Armeniaci textus quam confecit H. Petermann): Ascanius, Silvius, Aenias Silvius, Latinus Silvius, Albas Silvius, Epitus Silvas, Apis, Kalpet, Tiberius Sylvius, Agripas, Arramulius Silvius, Aventius, Prokas Silvius, Amolius.

In Vergilio (*Aen.* VI 760-770): Silvius, Procas, Capys, Numitor, Silvius Aeneas, quibus addi debet Ascanius (Albae futurus conditor in *Aen.* VIII 47s.).

In Livio (I 3,3-10; 6,3): Ascanius, Silvius, Aeneas Silvius, Latinus Silvius, Alba, Atys, Capys, Capetus, Tiberinus, Agrippa, Romulus Silvius, Aventinus, Proca, Amulius, Numitor.

In Dionysio (I 70-71): Ascanius, Silvius, Aeneas, Latinus, Albas, Capetus, Capys, Calpetus, Tiberinus, Agrippas, Allodius, Aventinus, Procas, Amolius, Nemeter.

In Ovidio (*Fast.* IV 39-53; *Met.* XIV 609-622, 772-774): Ascanius, Silvius (sive Postumus in *Fast.*), Latinus, Alba, Epytus, Capys, Calpetus (in *Fast.*; Capetus in *Met.*), Tiberinus, Agrippa (Tiberini filius et Romuli pater, tantum in *Fast.*; Acrota, Remuli frater minor, in *Met.*), Romulus, Aventinus, Proca, Amulius, Numitor.

Denique satis similes Albanorum regum series apud Appianum I 1,2, Hieronymum *Chron.* pp. 103-147 Fotheringham, et *Originem* 17-19 inveniuntur, et, aliquanto decurtatae, apud Dionem Cassium (in Zonara 7,1 = Boissevain Liber I Fragm. 2,4, p. 5,6-24 et p. 6,1-8) et schol. Lyc. 1232.

### De Ascanio et Silvio

Lavinia Aeneae uxor in Italia primum comparet in Catone (apud Servium *Aen.* VI 760 = fr. 11\* Peter et Schröder), qui, non nominata Ascanii matre, ad Laviniae filium Silvium natum pergit (qui hic etiam primum comparet), cui Ascanius, cum sine liberis periisset, Albae imperium reliquerit. Ascanius, qui primum comparet, ut videtur, in Stesichoro, iterum certe in Sophocle, ut vidimus supra, et tertium in Hellanico (4 F 31 apud D. H. I 47,5), post eos primum denuo comparet in Catone. Cato autem unus auctor est qui Ascanium sine liberis periisse dicat, cum apud ceteros omnes qui de hac re agunt (scilicet Diodorus VII 5,8 apud Eusebium, *Chron.* I p. 285 Schöne [scilicet in Latina versione, ab H. Petermanno confecta, et edita a Schöne, Armenii textus, qui unicus antiquus textus est qui huius partis Eusebii *Chronicorum* servatur; quae Latina versio ad textum lacunosum Diodori supplendum, in ea laudati, adhibita est], Dionysius I 70, 3 s., Pompeius Festus p. 460,7-13 Lindsay, Dio Cassius apud Zonaram 7,1 [= Boissevain Liber I fragm. 2,4, p. 5,6-10, et apud Tzet-zam ad Lycophronem 1232 = Boissevain ibid.], *Origo* 17,4, et Hieronymus *Chron.* p. 104 Fotheringham = p. 57 Schöne = p. 64 b Helm) Ascanius filium saltem unum habuerit, nomine Iulum aut (in Diodoro-Eusebio, in Festi codice Farnesiano, et in Hieronymi loci laudati codicibus plerisque; cf. in p. 137 Foth. = 71 Schöne = 80 b Helm duos alios Iulios, quorum posterior «cum Romulo Romam commigrans fundavit Iuliam gentem») Iulium, qui patruo Silvio posthabitus cum Silvius mortuo Ascanio Albanum regnum obtinisset, sacram auctoritatem et honorem, id est, pontificatum maximum, acceperit, et Iuliorum, sic a Venere ortorum, atavus exstiterit (cf. García Fuentes, op. cit., pp. 8 sq.). In Vergilio autem (*Aen.* VI 789 sq., I 267-288), Livio (I 3,1-6) et Ovidio (*Fast.* IV 38-40) gens Iulia sive Iulii Ascanii sive Iuli posterii quidem sunt, et ideo Veneris et Troianorum avorum, sed non dicitur quomodo, id est num Ascanius, qui in Livio et Ovidio Silvii pater est, filium alium reliquerit, aut, in Vergilio, quem filium Ascanius reliquerit (cf. García Fuentes, op. cit., pp. 10 sq.), ex quo Iuliorum gens manaverit, cum apud eos tres auctores Silvii posterii, id est, Albani reges, ad Romulum protrahantur et cum Romulo desinant, qui, apud omnes praeter Plutarchum (*Rom.* 14,8), sine liberis perierit, et in Plutarcho (ex Zenodoto Troezenio = FHG IV 531 = 321 F 2) cuiusdam filiae, Primae, et cuiusdam filii, Aolii sive Abillii, pater fuerit, de quibus ambobus nihil amplius testatum esse videtur.

Ceterum Cato, quamvis Ascanium sine liberis mortuum esse dicat, primus est qui Ascanium etiam Iulum appellatum esse dicat, et ab eo (et ideo a Venere) Iuliam familiam manavisse (sic in *Origine* 15,5 = fr. 9\* e Schröder; de Ascanio etiam Iulo dicto, etiam apud Servium *Aen.* I 267 = fr. 9\* Peter, 9\* a Schröder). Igitur haec celeberrima memoria (praesertim in Caesare apud Suetonium *div. Iul.* 6,2, Diodoro VII 5,8, Livio I 3,2, Vergilio *Aen.* VI 789 s., D. H. I 70, 3 sq., Ovidio *Fast.* IV 39 sq., et Hieronymo *Chron.* p. 104 Fother., 57 Schöne, 64 b Helm) apud Catonem inveniebatur neque Caesar, ut aliquo modo

voluerunt, Iordanum ex parte secuti, aliqui, eam commentus est, ut bene affirmat García Fuentes, op. cit., p. 7, et, revera quamquam aliquid Niebuhrio, Iordano et Petero concedens, Schröder pp. 121 sq. (ad fr. 9\* a) et 123-125 (ad 9\* e). (Cf. nummos cum Veneris Genetricis effigie a Sexto Iulio Caesare anno fere 125 a. Chr. et a Lucio Iulio Caesare anno 94 signatos, apud Sydenham, *The coinage of Roman Republic*, nr. 476 et 593, et. v. Ogilvie ad Liv. I 3,2, pp. 42 s.).

In Ennio (apud Servium *Aen.* VI 777) Romuli mater, nomine Ilia, Aeneae filia est, quod ex parte confirmatur in Servio Dan. *Aen.* I 273, ubi Naevius et Ennius Aeneae ex filia, non nominata, nepotem esse Romulum conditorem urbis tradere dicuntur (v. ad fr. I XXVIII Vahlen).

Ascanii mater Eurydice appellatur in Leschae *Parva Iliade* et Stasini *Cypriis* (apud Pausaniam X 26,1 = frr. XX et XXII Allen), atque Eurydice Aeneae uxor esse videtur in Ennii *Annalibus* (apud Ciceronis *De Divinatione* libri I paragraphum 40 = v. 37 Vahlen). Creusa autem appellatur in Livio I 3,2, *Aen.* II 651 etc., D. H. III 31,4, schol. Lyc. 1263. Appian. βασ. 1, Aelian. *n. h.* XI 16 et Pausan. loc. laud. (hic ut altera fama). In Apollodoro III 12,5 et in Hygino *fab.* 90 Creusa filia Priami est, sed eam Aeneae uxorem esse non dicitur. In Vergilio Creusam Priami filiam esse subauditur, non tam aperte in verbo *Dardanis Aen.* II 737 quam, maxime, per *avunculus... Hector Aen.* III 343 et XII 440.

## De Ilia

Iliam a Marte vitiatam esse qui sic Romuli et Remi pater fuerit traditio est celeberrima et cui fidem maxime Vergilius attulit, sed quae non dubitationibus, opinionibus variis, immo repulsa, careat. Primum comparet in Fabio Pictore apud *Originem* 20,1 (non apud Peter): «egressam virginem... aquam petiitum... a Marte compressam... mox recreatam consolatione dei nomen suum indicantis affirmantisque ex ea natos dignos patre evasuros». Sed aliter de Fabio Pictore narrat Plutarchus (*Rom.* 3,4 = fr. 5.<sup>a</sup> Peter, atque 4,2-3 qui locus non invenitur in Peter), quamquam magnopere incertum est num singula Plutarchianae narrationis Fabii Pictoris revera sint aut Dioclis Peparethii, et quae res omnino eorum sint. Dicit itaque Plutarchus primo loco Iliam praegnantem deprehensam esse contra legem Vestalibus institutam, nulla mentione ibi ab eo facta de Iliae per vim compressione neque de patre geminorum; sed altero loco dicit, ut Livius (v. infra), Iliam Martem esse patrem geminorum dixisse (atque, addit Plutarchus, ei fidem praestitam esse), et quod ferebatur Amulium fuisse, arma gestantem, qui eam vitiavisset, quae illum Martem esse credidisset (quod, ut videbimus, etiam Dionysius narrat).

In Ennio (apud Porphyriionem ad Hor. *carm.* I 2,17; ad fragm. I XXX Vahlen) Ilia ad Tiberim iussu Amulii proicitur, cum antea Anieni matrimonio iunc-

ta esset. Num Ennius Iliam vitiatam et quis fuerit Romuli pater dixerit plane nescimus, cum ad id rescindendum non sufficiant *Annalium* versus (apud Cic. *de divin.* I 41 = fr. I XXVIII 45 s. Vahlen) *O gnata, tibi sunt ante gerendae aerumnae, post ex fluvio fortuna resistet*, quos ad sororem non nominatam, Eurydices filiam eam appellans, Iliam, Aeneae filia procul dubio, pronuntiat, ei referens earum patrem (id est, Aenean, quamquam hic non nominatur) sibi in somnio apparuisse et illa verba dixisse. Eodem modo se habet aliud *Annalium* fragmentum (I XXXI 55 apud Charisium I p. 90,26 K. et alios) ubi denuo de Iliam aerumnis dicitur (*Iliam dia nepos, quas aerumnas tetulisti*), cum ibi quis loquatur nullo modo constet nec quidquam de Marte nec de Romulo dicatur (versus hic solum ad verbi 'nepos' ut feminini usum inlustrandum affertur). Simili modo ad inferendum Martis amorem cum Iliam in *Annalibus* fuisse non sufficit quod Ovidius *Trist.* II 259 s. (cf. V 423) Ennii *Annales* perstringere videtur.

Post Fabium igitur et ante Varronem et Ciceronem nullum auctorem habemus qui de Iliam Romuli matre ex Marte aliquid dicat aut dixisse narretur. Fabium itaque Varro sequitur, qui (apud Solinum I 17) Romulum Martis et Reae Silviae filium fuisse dixit.

Varroni aequalis Cicero (*de republ.* II 2,4), non nominata matre geminorum, concedit «famae hominum, praesertim non inveteratae solum, sed etiam sapienter a maioribus proditae» Romulum Marte patre natum fuisse.

Livius traditionem Martis et Iliam leviter perstringit, eam nec adprobans nec improbens, in praef. 7, sed eam subaudiendo plane improbat et repellit in I 4,2 («Martem incertae stirpis patrem nuncupat»), cum quo loco Servii (*Aen.* I 273) restrictio conferri potest: «hanc ut multi dicunt Mars compressit». Satis similem dubitationem expressit Pompeius Trogus (apud Iustinum XLIII 2,3: «duos pueros, incertum stupro an ex Marte conceptos, enixa est»).

Vergilius traditionem hanc simpliciter accipit in *Aen.* I 273 sq., VI 777 sq., cf. 872.

Idem facit Ovidius *Fast.* II 383 (*caelestia semina*), 419 (*Marte sator scires*), III 9-25 (Silvia sopita, non dicens num Silvia quis se compresserit rescierit nec, si rescierit, quomodo, nec num alicui id dixerit), 41-45, 233; Martem esse Romuli patrem subauditur *Met.* XIV 806-810 (et *Am.* III 4,39 sq., cf. 6,49; in utroque loco Mars sator esse existimatur; in 6,80-82 Iliam se ipsa ad Anienem proicit, qui eam sibi uxorem facit). In *Fast.* II 598 Iliam dea est, quae in Tiberi, ut videtur, residet, quod aliquo modo repetitur in Apollinaris Sidonii *carm.* V 29 sq., ubi praeterea Iliam Tiberis uxor est ut in Horatii *carm.* I 2,20, ad quem locum Acronis scholium dicit Iliam, matrem Romuli quem ex Marte suscepit, ad Anienis ripam sepultam esse, et, cum Anio, qui in Tiberim influit, Iliam cineres ad illum attulisset, eam Tiberi nupsisse dictam esse; addit scholium apud alios Iliam Anieni nupsisse. Utraque versio de Iliam nuptiis invenitur etiam in Servio Dan. *Aen.* I 273, ubi Iliam Amulii iussu in Tiberim proicitur, ut in Ennio, sed una cum duobus liberis, Remo et Romo.

Dionysius autem (I 77,1-4) opiniones tres de compressionis auctore refert: aut fuit unus ex Iliam prociis, aut Amulius, aut (οἱ πλείστοι) Martis simulacrum,



atque de hac postrema opinione dubitationes in genere exprimit neque ad eam abnuendam neque accipiendam adducitur (cum, e contrario, in 62,2, Aenean Anchisae et Veneris filium esse sine dubitatione ulla, ut omnes alii, accipiat).

Amulium fuisse Iliae compressorem, id est, Dionysii secunda fama, Marco Octavio et Licinio Macro tribuitur in *Origine* 19.

In Tibullo II 5,51-54 Martis et Iliae imminens futurus concubitus portenditur a Sibylla, quae non dicit num Iliā vitiata vel decepta postea fuerit.

In Hygini *fab.* 252 Romulus et Remus Martis et Iliae filii sunt.

In Conone 48 Amulius Numitorem trucidat, et huius filiae Iliae Mars se iungit, qui statim ei quis ipse sit aperit et eam duos filios ex se parituram esse (ut in Dionysio I 77,2).

In schol. Lyc. 1232, ubi breviter paene omnia sunt ab Anchisa usque ad Iliam (mensae, sus, Lavinium, Alba, Ascanius, huius filius Iulus, Albanorum regum series, Iliā), haec Silvia vel Rhea Iliā vocatur, sed non dicitur eam a Marte compressam esse, sed tantum in Martis luco gravidam factam esse et Romulum et Remum concepisse.

Aelianus (*var. hist.* VII 16) etiam eam Silviam vocat, sed unam esse ex Aeneae posteris addit et Martis et eius filios esse Rhomon ac Romulum, Romae conditores.

### De Aeneae e Troia profectioe

Troia capta Graecos Aeneae et Antenori pepercisse quoniam Helenae reddendae auctores fuissent solus Livius dicit. Helenae reddendae auctor fuisse solus Antenor narratur et tantum in *Iliade* (VII 347-53, cf. III 148 et 207) et *Hor. epist.* I 2,9.

Antenor Troiam prodidisse primum in Lycophrone (340 et schol.) dicitur; postea in Lutatio (apud *Originem* 9,1: cum aliis principibus sed non Aenea), in Dictye (IV 22, V 8, V 12: cum Aenea in IV 22 et V 12), et in Darete 41. In Strabone XIII 1,53 ex parte, et fortasse in Sophoclis Ἰλίου Ἀλώσει ab eo ibi allata (et quae *Antenoridae* fuisse potuerit), atque plene in Quinto Smyrnaeo (XIII 291-299) Graeci Antenori parcent solum ob eius φιλοξενίην erga Menelaum et Ulixem (ex *Il.* III 207) et quoniam eos servaverat (hoc, id est, eos illum servasse soli ante Quintum dicunt Apollodorus epit. III 29, schol. *BL Il.* III 206, et Dictys I 11 et IV 22 [cf. II 24]; post Quintum Tzetzes *Antehom.* 161 et Eustathius 405,22 sq.).

Aenean Troiam prodidisse primus dicit Menecrates Xanthius saeculo IV a. Chr. (769 F 3 apud Dion. Hal. I 48,3); sequuntur Lutatius (apud *Originem* 9: cum Antenore; ibidem Alexandro Ephesio auctore Ilium proditum esse dicitur ab Antenore aliisque principibus sed Aeneas excipitur; forte ab Antenoridis in Hellanico 4 F 31 apud D. H. I 46,1), Dictys (IV 22, V 8, V 12, V 16: cum Antenore in IV 22 et V 12), Servius (*Aen.* I 242: cum Antenore, et addens «secundum Livium», quod Servii error esse videtur), et Dares 41 (cum Antenore).

Xenophō antiquissimus auctor est qui dicat Graecos Aeneae pepercisse (*Cyneg.* I 15, in loco de cuius auctoritate, ut supra diximus, non nulli dubitant), et ob Aeneae pietatem erga deos patrios atque erga patrem Graecos id fecisse affirmat, quod postea repetunt Apollodorus (epit. V 21: solum erga patrem), Alexander Ephesius (apud *Originem* 9,1 = FHG III 244: erga deos patrios, patrem et filium; fragmentum hoc Jacoby *FrGrH* IIB p. 917 parti quintae suae collectionis pollicitus est, sed ad eam edendam non pervenit), ex parte Aelianus (*v. h.* III 22, sed hic, ut infra videbimus, Aeneae pietas erga patrem pietate ipsius erga deos patrios posterior est, de quo agit Galinski, *Aeneas, Sicily and Rome*, Princeton 1969, 3-61), et postremo Quintus Smyrnaeus (XIII 344-48, ubi Calchas Graecos rogat ut Aeneae parcant ob patrem (et filium) ab eo servatum (umeris suis impositum et opibus spretis), quamquam Quintus verbo 'pietate' non utitur.

Dissimili modo res se habet apud Lycophronem, Lutatium, Diodorum, Varronem et ex parte Aelianum, in quibus Graeci Aenean ferre unam rem tantum, scilicet quod sibi carissimum esset, sinunt antequam Aeneas pietatis exemplum ullum praebeat, et postea, ipsius pietatem in electione sua admirantes, eum ferre omnia quae vellet sinunt aut saltem eum hostes piissimum iudicabunt. Sic summatim apud quinque supra dictos auctores, sed in singulis rebus aliquae inter eos differentiae sunt.

Sic in Lycophrone 1263-69 (et schol. 1263 et 1268) Graeci Aeneae unam tantum electionem permittunt (λαβεῖν ὃ χρῆζει), scilicet, ferre quae vellet; sed ea electio, quae necessario in παρώσας... πρῶσβειώσεται subauditur (cf. προέχοντε in schol. 1268), restrictionem aliquam habuisse videtur, ut in Lutatii, Diodori, Varronis et Aeliani prima electione videbimus. Aeneas, spretis uxore et filiis et omnibus opibus suis, deorum patriorum (patriae aut patris) imagines et patrem venerabitur, et ideo eum hostes piissimum iudicabunt (*v.* 1270). Hic *Alexandrae* locus Lutatii, Diodori, Varronis, Aeliani, immo Quinti, fons esse potest, sed id non penitus certum est; maxime cum Varronis prima electione, quam videbimus, et cum Quinto XIII 345-47 congruit, sed non plene, cum Varro de uxore et filiis nihil dicat, et Quintus, ut Lutatius, filium in Aeneae electione includat, et neuter deorum imagines includat.

In Lutatio (apud *Originem* 9) duas electiones successivas Graeci Aeneae (qui Troiam eis prodiderat) permittunt, et Aeneas in prima penates, patrem et duos filios (aut unum, Ascanium) eligit, et in secunda «pietate motos... remisisse ut... omnia quae vellet auferret», ita ut tunc Aeneas etiam magnas opes auferat.

In Varrone (apud scholium Veronense *Aen.* II 717 et Servium Danielis *Aen.* II 636), in Diodoro (VII fr. 4 apud Constant. Exc. 2,1, p. 211, quod fragmentum, usque ad τυγγάνουσαν, ut supra diximus, tantum non mera Varronis duarum priorum electionum versio esse videtur, nisi quod, cum Diodorus et Varro aequales fuerint et Diodorus etiam Romae annos multos degerit, invicem Varronis locus Diodori versio esse potuerit), et in Aeliano (*v. h.* III 22), nihil de Aeneae prodicione dicitur (solum, in schol. Veron., eum, capta Troia, cum mul-

tis arcem occupasse, ut in Hellanico 4 F 31 apud D. H. I 46,1, «magnaque hostium <gratia obtinuisse ab> eundi potestatem»), et, in Varrone et Aeliano, tres electiones sunt, quarum duae priores in Diodoro etiam comparent: in prima, ut in Lutatio, Aeneas quod praeferat aut queat auferre potest («quod carum putaret» in Servio; lacuna in schol. Veron.: «vellet auferre»; ἐκάστῳ λαβεῖν ὅσα δύναίτο τῶν ἰδίων in Diodoro; ἐν ὃ τι καὶ βούλεται τῶν οἰκείων ἀποφέρειν ἄρᾶμενον in Aeliano: unam tantum rem igitur; et hic in Aeliano hoc non solum Aeneae sed Troianorum liberorum cuique permittitur, ut ἐκάστῳ in Diodoro), et Aeneas, in Varrone et Diodoro, patrem aufert («collo» in schol. Veron., verbo in lacuna deficiente; ἐπὶ τοὺς ὄμους in Diodoro), aliis aurum et argentum auferentibus (paene ut in Lycophrone et Quinto, nisi quod horum uterque unam tantum electionem habent); in Aeliano autem Aeneae electio diversa est in hac prima optione, scilicet Penates, quos apud Varronem in secunda optione aufert, patrem invicem apud Aelianum in secunda optione Aenea auferente. Secunda optio redeundi Ilium facultas est in schol. Veron. («...que Achivis hanc pietatem»), quod vellet auferendi in Servio («propter admirationem») et Diodoro (ἔλαβεν ἐξουσίαν πάλιν ὃ βούλοιο τῶν οἰκόθεν ἐκλέξασθαι), secundam rem in Aeliano (δεύτερον αὐτῷ κτήμα συνεχώρησαν λαβεῖν et id ἡσθέντες ἐπὶ τοῦ ἀνδρός εὖσεβείᾳ); Aeneas Penates aufert in Servio et Diodoro (in schol. Veron. adsunt Penates sed deficit verbum in lacuna), patrem in Aeliano (τὸν πατέρα πάνυ σφόδρα γεγηρακότα ἀναθήμενος ὅμοις ἔφερεν). Tertia optio, quae in Diodoro abest (nisi quod postremo dicit Aeneae permissum esse cum Troianis superstitibus securum ire quo vellet), omnia sua auferendi potestas est in schol. Veron. («quam rem Graecos stupentes») et in Aeliano (πάντων αὐτῷ τῶν οἰκείων κτημάτων ἀπέστησαν, et id ὑπερπλάγντες καὶ ἐπὶ τούτῳ οὐχ ἥκιστα). «quos vellet secum et sua omnia liberaret» in Servio, quod partim secundae optionis repetitio est.

Lutatius cum Lycophrone congruit cum deos includit (in prima optione, in qua eligit), sed non cum Lycophrone filios excludit, namque, a Lycophrone aberrans, eos in primae optionis electione includit. De uxore autem, praeter Lycophronem et Vergilium, nihil dicunt ceteri, et ideo in Aeneae concessis optionibus neque includitur neque excluditur, cum, dissimili modo, excludantur opes subaudiendo in Lutatii prima optione et accurate in Varronis prima.

In Quinto Smyrnaeo XIII 345-347 electio una, ut in Lycophrone, subaudiri videtur, cum Aeneas ibi, ut videtur quamquam locus lacunosus est, auro et omnibus aliis patrem et filium praetulisse dicatur.

Aenean Troia capta miraculose inter hostes et per ignem intactum progressum esse et cum suis effugisse primus Cassius Hemina nobis dicit (fr. 5\* Peter in eodem scholio Veronensi supra ad Varronem allato; solum inter hostes); postea id est in *Aeneidos* libro II 632 sq., *Oracul. Sibyll.* XI 147, 150 sq., V 9, XII 9, Prop. IV 1,44, Ov. *Met.* XV 441 (in Heleni vaticinio), 861 sq., *Fast.* IV 37 sq., 800, *Pont.* I 1,33 sq., Hor. *carm. saec.* 41-43, et postremo in Quinto XIII 328-332. Hoc non ex Cycli epici poematibus fluxisse videtur, cum Aenean a Graecis captum esse in *Parva Iliade* constet (fr. XIX et XXI Allen apud schol.

Lyc. 1268 et 1232, et cf. Simiae fr. 6 Powell apud schol. *Androm.* 14), et ipsum cum suis ante captam Troiam ad Iden fugisse in Arctini *Iliupersi* (apud Proclum, p. 107 Allen), quod a Sophocle in *Laocoonte* (fr. 373, v. supra) et ex parte (sc. Aenean cum suis Iden occupasse, sed post captam Troiam) ab Hellenico (4 F 31 apud Dion. Hal. I 47,1) et Conone (46) repetitum est.

### De Aenea deo facto

Aenean deum in caelo futurum esse Iuppiter aliquo modo dicit in *Aen.* I 250, 259 sq., XII 794 sq., et Calchas in Quinto XIII 342 s. Aenean deum factum esse solus ante Vergilium Diodorus aliquo modo dicit, scilicet eum non comparuisse et divinos honores attigisse (VII 5,2 apud Syncellum p. 366 Dindorf: ἐξ ἀνθρώπων ἐφανίσθη καὶ τιμῶν ἔτυχεν ἀθανάτων). Simul fere cum Vergilio, sed dubitanter, Livius I 2,6. Postea similiter Dionysius I 64,4-5 (partim ut Diodorus), et, sine ulla dubitatione, Ovidius *Met.* XIV 581-608, XV 861.

### De Vergilii fontibus

Vergilius itaque *Aeneida* scripturus atque scribens fontes hos aut antecessores habebat quos nunc summatim memoramus:

De Anchisa, Venere et Aenea Troiae et in Ida degente: Homeri *Iliadem*, Hesiodi *Theogoniam* et *hymnum Homericum V*.

De Aenea e Troia navigante ad Italiam: Stesichori *Iliupersin*.

De eius in Italiam adventu: Sophoclem (fortasse, si verba εἰς τὴν Λατίνην ἐλλθόντα Strabonis loci XIII 1,53 ad Sophoclis locum ab illo memoratum adhuc pertinent, quod abicere non fas est quamvis incertum sit), Hellenicum, Damasten, Lycophronem, forte Naevium et Ennium, certe Catonem, Lutatium, Varronem et Diodorum.

De Aenea patrem umeris gestante: Sophoclis *Laocoonta* (cum ad Iden au fugit Aeneas), fortasse Apollodorum, certe Alexandrum Ephesium, Varronem et Diodorum.

De Aenea patrem potius quam gazam servare volente: Lycophrona, Lutatium, Varronem et Diodorum. (In Vergilio tantum subaudite et fortassis.)

De Aeneae quodam postero Romae conditore: Alcimum, Agathoclem, Lycophrona, Eratosthenem, Fabium Pictorem (probabiliter), Naevium, Ennium, Diodorum.

De Romulo Romae conditore: Lycophrona (fortasse), Fabium Pictorem (probabiliter), Naevium, Ennium, Diodorum.

De mensarum et suis prodigiis: Lycophronem, Fabium Pictorem (de sue tantum), Catonem, Lutatium, Caesarem, Varronem, Diodorum (de sue tantum).

De Lavinio et Alba Longa: Catonem (de Lavinio solum fortasse: de Laurolavinio, nihil de eius origine dicens, sed paulo post Laviniam nominatam ut Aeneae uxorem, loquitur Cato apud Servium *Aen.* VI 760 = fr. 11\* Peter et 11\*\* Schröder, et apud eundem *Aen.* IV 620 = fr. 10\*; cf. etiam *Originem* 12,5 = fr. 13\* b Schröder et comm. pp. 144 sq.), Lutatium (fortasse), Caesarem (fortasse), Varronem (confuse) et Diodorum (tantum de Alba apud eum constat).

De Albanorum regum serie: Fabium Pictorem (probabiliter), Catonem (aliquid saltem), Diodorum, praecipuos.

De Iuliorum gente a Venere orta: Catonem (apud *Originem* 15,5 = fr. 9\* e Schröder, Iove ortum Ascanium appellentem, et fortasse etiam apud Servium *Aen.* I 267), Diodorum (VII 5,8 = Schöne pp. 285 et 287), Livium (sed apud eum Silvius Ascanii filius est, non frater ex patre ut in Vergilio), et Caesarem.

De Saturno in Latio regnante (*Aen.* VI 792 sq., VIII 324, 358, cf. *Georg.* II 173, 538): non constat de fonte aliquo, nisi Vergilio prior fuerit (quod non veri simile videtur) Trogius Pompeius, qui (in Iustino XLIII 1,2-5) Saturnum Aboriginum regem fuisse scripsit. Ad hoc aliquo modo referri posse videtur, sed sine aliqua accuratatione, quod Varro dicit de Saturnia terra ab Ennio sic appellata (*de lingua Latina* V 42 = Enn. I XX 25 Vahlen) et de agricolis qui soli putantur reliqui esse ex stirpe Saturni regis (*rer. rustic.* III 1,5), nec non quod Macrobius, Hygino auctore (Iulio Hygino procul dubio), de Iano et Saturno, ad Euhemeri modum (qui omnino a Vergilio alienus est), refert *Saturn.* I 7,19-26.

De Marte et Ilia: Fabium Pictorem et Varronem. Sane mirum est hanc traditionem talibus dubitationibus, restrictionibus et variis explicationibus obnoxiam fuisse, cum nihil tale de Venere et Anchisa usquam inveniatur, nec, in universum, de deorum filiis in poesi epica, tragica et lyrica et in mythographia.

Fons nullus esse videtur, ut de Saturno in Latio regnante, de Iovis promissis de quibus Venus ad illum loquitur in *Aen.* I 237 («certe hinc Romanos... fore ductores... pollicitus»), 250 («nos tua progenies, caeli quibus adnuis arcem»), cf. 258-60 («cernes urbem et promissa Lavini moenia», cf. Tibull. II 5,41 et 49, et «sublimemque ferēs ad sidera caeli magnanimum Aenean») et XII 794 sq. («Indigetem Aenean scis ipsa... deberi caelo fatisque ad sidera tolli», cf. Tibull. II 5,43 sq.), nisi forte haec remote Vergilius traxit ab eo ad quod innuere videri potest Homericum illud Τρώεσσαν ἀνάξει, et, minus remote, quod attinet ad Aenean deum futurum, a divinis honoribus ei tributis in Diodoro VII 5,2, et a sacello, prope flumen Numicum (sive Numicium), ei ut Indigeti dicato, de quo loquitur Dionysius I 64,4-5, aut a sepulchro (forsan eodem sacello) a Livio I 2,6 cognito. (Cf. verba «apud Numicium parere desiit anno septimo. Patris Indigeti ei nomen datum» in Cassii Heminae fragmento 7\* Peter apud Solinum II 14.) Idem de Apollinis Grynaei oraculo et de Lyciis sortibus in *Aen.* IV 345 s., quamquam non multum dissimile est quod Alexander Ephesius (apud *Originem* 9,1) scripsit, nempe Iliam, postquam ad Idam perferit, oraculi admonitu Italiam petivisse.

**De Origine gentis Romanae**

Denique de locis Catonis, Lutatii, Alexandri Ephesii, Caesaris et aliorum qui in *Origine gentis Romanae* citantur, et qui commenticii existimati sunt a Niebuhr, Jordan, Peter et aliis, praesertim in saeculo XIX, dicendum est, ex parte cum Schanz-Hosius (*Gesch. d. röm. Lit. IV 1, 67-70*), cum Momigliano *JRS*. 48, 1958, 56-73, et cum Schröder pp. 123 sq., eos locos non magis dubitationi obnoxios esse quam quos diversorum auctorum afferunt Diodorus, Dionysius, Plutarchus, Servius aut quicumque alius ab historicis aut criticis sine dubitatione ad illorum fragmenta cognoscenda aut colligenda adhibentur, nec *Originem gentis Romanae* minus auctoritatis quam eos habere.